PROGRAMMA QVO RECTOR UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS BERNHARDUS BARNSTORFFIUS, Med. Doct. Prof. P. & Poliater,

JESUM IN VINCULIS

Sanctè & ſobriè recolendum,

exhibet,

Civesque omnes ac ſingulos, ut diſſolutis bacchantium moribus valere juſſis, captivas ad obediendum Chriſto cogitationes ducant, quâ fas eſt humanitate etiam atq; etiam hortatur.

Roſtochi, Typis JOH. WEPPLINGII, Acad. Typogr.

Vidimus nuper Servatoris noſtri recens nati *faſcias*, admirati demiſſionem in Altiſſimo humillimam, paupertatemqve in Eo cujus omnia ſubjacent imperio arctiſſimam; gaviſi, de tanto infirmitatis conſorte, eâ fini carne humanâ participante; ut ipſemet imbecillitatibus noſtris, abſqve peccato tamen afflictus, compati afflictis poſſet. Et ſic faſciæ nobis fuere egregium veræ humanitatis in Servatore argumentum, liberationis ſpiritualis certiſſimum augurium, infirmitatis ac paupertatis præſentiſſimum ſolatium. Nunc eaſdem molles faſcias duriſſimorum qvoqve *vinculorum* triſte fuiſſe præludium deprehendimus. Cui ſcilicet ob teneritatem blandiùs fovendo tenuia parabantur linteamina; eidem diriùs excruciando nodoſa obtorqventur vincula. Jeſus innocentiſſimus, ultimum ſupplicium ſubiturus, ferali fune coercetur. Communi aliàs gentium uſu receptum fuit cohibere vinculis eos, qvi pœnarum varii generis atrocitatem graviſſimis ſceleribus merito ſuo ſibi attraxere, qvò ſcilicet dignis ſervarentur ſuppliciis, nec improbitati ſuæ fugâ conſulere qvirent, ſimulqve, triſti qvamvis documento, violenta membrorum coarctatione diſcerent, ſe libero corporis uſu miniſterio peccati hactenus addicto, abuſos peſſimè eſſe. Hinc Romanorum compedes, pedicas, manicas, numellas, catenas, nervos, bojam, legas, & qvæ alia ad terrorem creſcentis audaciæ provocata criminibus juſtitiæ ſeveritas adornavit. Qvi ante confeſſionem liberis concredebantur cuſtodiis, cum vel apud Magiſtratus domi, vel apud privatos nobiles ponebantur cuſtodiendi, poſt confeſſionem in vincula publica conjiciebantur facinoroſi: inqve illis vel ætatem agere, vel pœnam capitalem mox ſubire cogebantur. Præprimis etiam hoſtes, parta victoriâ captivi, pompâqve triumphali exhibendi, catenis vinculiſqve conſtringebantur. Unde Varroni victoria inde appellata, qvod hoſtes victi vincirentur, & rara unqvam ſine catenarum mentione victoria deſcribitur. Qvin & egredientes in bellum duces catenas ſecum geſtabant. Taciti verba ſunt (lib.2. Annal.): *decem millia paſſuum cadaveribus atqve armis opplevere, repertis inter*

arma

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE
2700 [35]

ama catenis, qvas in Romanos ut non dubio eventu portaverant. Sic & Flaminius apud Polybium, cum armis, vinciendis hoſtibus catenas geſtavit; primuſqve invadens Cretam Antonius, ingenti victoriæ ſpe atqve fiduciâ fretus, plures in navibus catenas qvam arma portavit. Utut graviſſimas inconſideratæ fidentiæ pœnas & Germani apud Tacitum, & Flaminius & Antonius pependerint, claro documento, humanis viribus non eſſe inſolenter abutendum. (conf. Roſinus Antiq. Rom. L. 10. Paralip. ad C. 29) Neqve vero ſolum ex ære vel ferro, ſed & argenteis aureisqve uſi ſunt vinculis. Ammianus Marcellinus, referente Hoffmanno (in Lex. univ. continuato, voce vinculum): *Regem Arſacem adhibitum in convivium, & ad latentem poſticam tractum, effoſſis oculis, vinctumqve catenis argenteis, qvod apud eos, honoratis, vanum ſuppliciorum æſtimatur eſſe ſolatium, tandem diſcruciatum cecidiſſe pœnali ferro*, commemorat. Et apud Barbaros qvoſdam, Tertulliano teſte, qvia vernaculum eſt aurum & copioſum, auro vinctos in ergaſtulis habent, & divitiis malos onerant, tanto locupletiores, qvanto nocentiores. Variè qvoqve applicata corporibus reorum recenſentur eadem, qvod prolixè inter alios egit ſupra jam laudatus, allegatoqve loco Roſinus. Nimirum, vel collo injiciebantur, qvo faciunt Gaufredi Malaterræ, Monachi, ſeqventia.

Roma qvondam bellipotens toto orbe florida,
Colla ſuperborum domans, perluſtrabas climata,
Leges dabas, & habenis temperabas omnia.
Ante te tremebant Duces, Principes, imperia;
Curvabantur colla Regum loris tuis domita.
Nil ſuperba reſiſtebant, enſe tuo territa.
Ordinabas qvod volebas, duces ſive Principes;

Vel manibus, qvod adeo certum, ut conſtet non aliam fuiſſe militarem cuſtodiam, niſi ut dextræ captivi, catenis ſiniſtra militis alligaretur, ne ille res novas tentare poſſet, & hic capulo paratam dexteram, ſi uſus ita poſceret, haberet; vel etiam cruribus, de qvo Ovid. Lib. 2. Amor. Eleg. 2.

Vidi ego compedibus liventia crura gerentem.

Cujuſcunqve autem generis vel rigoris, qvomodocunqve aptata fuerint vincula, non tamen niſi facinoroſis qvod patuit

hactenus, vel profeſſis ceſſere hoſtibus. Qvid vero hæc ad Servatorem innocentiſſimum? Certè, ſi crimen eſt, doctrinam, mortalium ſaluti abs indulgentiſſimo Numine ſacratam, errorum peſtilentium fermento laborantem reſtituere ſinceritati; ſi præceptorum divinorum obedientiam, ad rituum qvorundam operumqve exercitium, vanæ apud homines gloriæ deſtinatum reſtrictam, ad intentionem legislatoris revocare, priſtinumqve tenorem reducere crimen eſt; ſi ipſius innocentiæ irrefragabili teſtimonio, calumniis ſycophantarum omnibus ſuperiorem evadere crimen eſt; ſi mortuis vitam, cæcis viſum, ſurdis auditum, mutis loqvelam, vexatis â dæmone libertatem, morborum qvocunqve genere affectis ſanitatem reddere, inimicæ mentis conamen, & hoſticum opus eſt: debebantur Servatori mellitiſſimo ut facinoroſo, debebantur ut hoſti vincula. At enim tantum abeſt, ut vel umbra flagitii, fraudiſve veſtigium exinde Illi naſci potuerit, ut potius eo ipſo deſperatæ mortalium, ſive animæ ſive corporis ſaluti paraſſe medelam, ampliſſimèqve de humano genere meritum eſſe, vel hoſtium teſtimonio conſtet. Qvæ ergo maleferiatorum rabies, omnemqve feritatem multis paraſangis excedens crudelitas eſt? Itane ſpem Majorum, toties ductis intimo corde ſuſpiriis vocatam, excipi â poſteris conveniebat? Num vero ferreis, an alterius cujuſdam generis ligamentis profana cohors uſa ſit, non omnino conſtat. Ferream nonnulli catenam volunt, qvæ ſanctiſſimo corpori incubuerit; alii & veroſimilius multiplici fune circumdatum putant, qvo ſecurius captum ducerent, ferociuſqve traherent. Qvicqvid autem horum ſit, id ſaltim extrà omne dubium eſſe poſitum putamus, immaniſſimè ligatum ſeveriſſimeqve conſtrictum Salvatorem eſſe. *Tam duriter ipſum ligarunt*, inqvit alicubi Anſelmus, *ut ex omnibus ungvibus egrederetur ſangis.* Scilicet, in mandatis dederat ſociis ſcelere flagrantibus, Judas parricidiali oſculo Magiſtrum proditurus, ut captum tenerent arctius, cautiusqve ducerent. Auxerat bilem beluis, qvod concepto ſceleri deſtinata conſilia, optato hactenus caruiſſent eventu; moverat acrius ſtomachum, primæ compellationis mirabili plane potentiâ (qvam Magicis artibus tribuebant) qvaſi fulmine, uno impetu facta proſtratio: & hinc vinculorum immanitas, hinc crudelitas!

Non tamen in externis ſolummodo vinculis hærebimus, ad

inte-

interiora nos ſanctorum Patrum meditationibus paſſionalibus totâ mente incumbentium pietas vocat, qvi varia in vincto Servatore videri vincula monent, (vid. Bernh. de verâ vitæ C.4.) potiſſimum tamen obedientiam & charitatem exoſculantur, qvibus intimè tenaciſſimèqve ligatus, infeſtas manus æqvo animo tulerit. *Molle vinculum charitas eſt* (ait Ephrem. apud Gerh. Harmon. Paſſion C.5.) *& gladius utrinqve acutus non poteſt eam incidere, ſemper enim Tyranni ſanctorum Martyrum membra ſecabant, & caritatem DEI, qvæ in illis erat, ſecare non poterant. O Molliſſimum charitatis vinculum, ſtuporis & miraculi plenum, qvod non ſecari potuit nec ſolvi. Bis acutus gladius illud non ſecuit, flagrans ignis non ſolvit, membra ſecabantur, comburebantur viſcera, & vincula non ſolvebantur, demergebantur iterum in profundum, ſanctorum corpora, & caritas DEI non potuit aliqvando mergi.* Multo magis illud de charitatis vinculo valet, qvo Chriſtus in paſſione conſtrictus fuit, qvod ne ipsâ qvidem morte ſolvi potuit. Hoc erat illud vinculum, qvod omnis felicitatis authorem & poſſeſſorem, cœli terræqve dominum ê throno Majeſtatis ſuæ in hanc miſeriarum vallem attrahebat, & poſtea nexibus flagitioſorum hominum, violentas manus temere nullius criminis obnoxio admoventium implicabat. Admirando deficerem O dulciſſime Jeſu, te duriſſimè ligatum conſpiciens, niſi liqvidò cognoſcerem te amoris ineffabilis nexibus internis priùs fuiſſe conſtrictum. Neqve minus admirationis meretur, obedientiæ prompte adeo præſtitæ efficaciſſimum ligamen. Id in conſilio SS. Triados receperat ab æterno, Dei Filius miſerator hominum, ſe, qvi dederat conſilium, laturum qvoqve genti deperditæ auxilium. Miſerrima omnino mortalium facta erat conditio, poſtqvam primi parentes obedientiæ & dilectionis, qveis Creatori ſuo erant obſtricti vinculis iniqviſſimè ruptis, jugoqve excuſſo, omnem generis ſui poſteritatem, peccatorum graviſſimis irretiviſſent laqveis. Uti enim aliàs, ita hic etiam ex mancipiis mancipia, ex captivis captivi, ex vinictis vincti naſcebantur. Gemimus omnes ſub ſervitio peccati, experimur legem ſive impetum in membris noſtris repugnare legi mentis noſtræ, noſqve peccato teneri captivos (atteſtante Paulo ad Rom. C.7.) proinde in mandatorum divinorum tramite decurrere tàm non poſſumus, qvàm non poteſt vinculis impeditus liberè ſe proferre. Cohærent hiſce peccati vinculis laqvei Sathanæ, laqvei mortis, tam temporalis & qvæ hanc ante ce-

ſcedunt morborum omniſqve generis moleſtiarum triſtia ligamina; qvàm æternæ, nobis exemplo Sathanæ, propter apoſtaſiam catenis noctis in carcerem inferni detracti, vinculisqve æternis ſub caligine reſervandi (2. Pet. 2. Epiſt. Jud. v. 6.) in tenebras exteriores detrudendis, juſtiſſimo Dei judicio injecti. Nunqvam hos evadere nobis datum fuiſſet, niſi captivis liberationem, vinctiſqve carceris apertionem (Eſai. 61.) ſuſceptis in corpore ſanctiſſimo promptiſſimâ obedientia vinculis, Servator mundi procuraſſet. Pulcherrimè hâc de re alicubi Cyrillus! *Vincula*, inqvit *rerum omnium Domino immittunt, qvi ad noſtram naturam deſcendit ut â peccatorum & diaboli vinculis nos eriperet.* Et Gerſon in expoſit: fidei: *qvod Chriſtus ligatur, non eſt ex coactione & neceſſitate, ſed pertulit ligari propriâ ſponte ſua, ut nos removeret ac liberaret â duris peccatorum vinculis, in qvibus nos detinebamur, & ut obligati magis, ac ardentiores ad ipſum amandum eſſemus.* Et poſtea: ut hoc imiteris exemplum, ordina omnia membra tua ad ipſius ſervitium, per mandatorum ejus ligamina, & per obedientiam; dede te ſervum & ligatum tanto Domino, & rumpe alia peccatorum ligamina, qvæ videntur furioſis hujus mundi hominibus eſſe magna libertas, cum ſit deſpectiſſima ſervitus. h. i. Hoc ſcilicet eſt, qvod ærumnoſſimè laboranti noſtri gratia, retribuere tenemur corpus puta noſtrum, hoſtiam vivam, ſanctam, puram Deoqve ’ſic placentem. Solebant victimæ ligari, ne immolationi reluctarentur, unde & Iſaacus ab Abrahamo Patre juſſu divino immolandus, ligaturam patiebatur. O ſi nos qvoqve *conſtringat charitas Chriſti, ut* mortificantes membra terreſtria, veteremqve hominem deponentes, captivatis ſub obſeqvium Chriſti cupiditatibus qvæ nos decipiunt, *non nobis, ſed Illi qvi pro nobis vinctus & mortuus eſt vivamus* (2. Cor. 10.) Alligemur ipſi vinculis fidei, obedientiæ & charitatis, cum Patriarcha Jacobo dicentes: *non dimittam te, niſi benedixeris, mihi.* Mira de gentilium deaſtris narrantur eorumq; vinculis. Spartanos coluiſſe Martem compedibus irretitum, qvo vinculo proprium ſibi ac perpetuum bellorum illud numen haberent, narrat Pauſanias. Athenienſes. Victoriæ ſimulachro alas adimebant, ne urbem ea dereſeret, Qvomodo & apud Romanos, cum Victoriæ alas decuſſiſſet fulmen, Pompejus omen ita expoſuit:

Roma potens, alis cur ſtat Victoria lapſis?
Urbem ne valeat deſeruiſſe ſuam.

Sic Tyrii etiam qvod memorabile dictu eſt, ab Alexandro M. obſeſſi-

feſſi, cum unus è civibus concioni indicaſſet, oblatam eſſe per ſomnum ſibi ſpeciem Apollinis, urbem deſerentis; qvanqvam auctor levis erat tamen ad deteriora credenda proni metu, aurea catenâ devinxere ſimulachrum, aræqve Herculis, cujus numini urbem dicaverant inſeruere vinculum, qvaſi illo Deo Apollinem retenturi, de qvâ cœcâ Ethnicorum ſuperſtitione eleganter Auguſtinus (de Civit.D. L.1.c. 2. citante, loco jam allegato Hoffmanno): *Non homines inqvit à ſimulachro, ſed ſimulachrum ab hominibus ſervabatur: qvomodo ergo colebatur, ut patriam cuſtodiret & cives, qvæ ſuos non valuit cuſtodire cuſtodes.* Vana utiq; hæcce omnia riſuq; digna ſunt. Fides Chriſtianorum, vinculum eſt, qvo retinere Omnipotentem valemus, ne gratiâ ſuâ auxilioq; nullis anguſtiis & neceſſitatibus noſtris impari, nos miſeros derelinqvat. Ex fide, & cordis ad obedientiam proni ſinceritate profecta ad Deum oratio, vinculum eſt, qvo fortius vincire iratum licet propter peccatorum qveis implicamur vincula Eundem; qvâm tenaciſſimo qvocunqve externo ligamine hominem poſſumus. Has & ſimiles meditationes piâ mente verſandas, tempus hocce, qvo annua Dominicæ paſſionis, & vinculorum qvoqve ab improbis manibus ſanctiſſimo corpori injectorum memoria, omnium aures & pectora perſonat. Sane veteres hoc anni tempore in fundendas preces & feriæ pœnitentiæ haut pœnitenda exercitia toti propendebant. *Exeamus & nos,* (inqvit Bernh. de Paſſ. Dom. p. 1602.) *cum ſponſo noſtro bono Jeſu extra caſtra, id eſt, concupiſcentias præſentis ſeculi, improperium crucis & vinculorum aſperitatem cum eo portantes; qvia non decet membrum delicatum eſſe ſub capite crucifixo, nec ad capitis corpus ſe indicat pertinere membrum, qvod capiti compaſſum non fuit. Vinciamur ergo vinculis paſſionis boni Jeſu, ut etiam vinculis charitatis cum eo vinciri poſſimus. Ipſe vel vinculis charitatis devinctus, ad ſuſcipienda vincula paſſionis, de cœlo tractus in terras; nos è contrario, qui de terris trahi deſideramus ad cœlũ, prius paſſionis vinculum noſtro capiti colligemus, ut per hoc ad charitatis vincula pertinentes, unũ efficiamur cum ipſo. O felix, felicior, imo omnium feliciſſima unitas! optemus totis deſideriis, hujus charitatis vinculis ſponſo & domino noſtro colligari: ita ut ejus ſeqventes veſtigia, illic pervenire poſſimus, ubi eſt ipſe qvi dixit; volo Pater ut ubi ego ſum, illic & ſit miniſter meus. Tempus eſt lugendi,* inqvit Auguſtinus alicubi, *paſſio Domini celebratur, tempus gemendi eſt, tempus flendi, tempus confitendi & deprecandi.* Qvæ cum ita ſint Cives optimi, prout eſſe, nemo qvi pietati Chriſtianæ nondum miſit nuntium, diffiteri poterit, qvid qvæſo illorum merebitur improbitas, qvi hoc tempore ſuſqve deqve habitis conſcientiæ legumqve dictaminibus, pudore omni diruto atqve devorato, totos ſe Bacchi Cererisqve ſacris mancipare, prælia madida committere, dieſqve integros in popinis ſepelire non erubeſcunt. Quid vincto

Chriſto

Chriſto cum diſſolutis Chriſtianis commercii? Bacchantis Ethniciſmi inſaniam profligatis moribus imitari, vix ſanæ, nedum Chriſtianæ mentis eſt. Ligatur Jeſus, & ſectatores ejus, legum humanarum divinarumqve ſanctiſſima vincula ſolvunt, repagula rumpunt. O rem Chriſtiano nomine indigniſſimam! Bacchum, famoſum illud deaſtrum, cui gentiles Phœnices, Ægyptii, & Romani, Februario hocce menſe Sathanico ſpiritu perciti, diabolicum illud *Evoe* acclamabant, victimisqve ſpurciſſimis litabant, non meraci liqvoris deum, ſed imperatorem callidiſſimum, voluptatum ac deliciarum ſtratagematibus incautos hoſtes ſupplantare edoctum fuiſſe, cùm Hiſtorici tum Mythologi memorant. Et qvidem Poliænus refert, Bacchum huncce Indos imperio ſuo ſubjugare ſatagentem, cum vi leoninâ perrumpere neqviret, vulpinâ pelle indutum clam in civitates irrepſiſſe, militibusqve haſtis hedera circumvolutâ armatis ſtipatum, in cœtus luxurioſos ſub Comædorum larvis penetraſſe, choreas excitaſſe, accurrentes temeto dulciſſimo dementaſſe, & hac arte bacchicâ incautos & ſecuros Indos deviciſſe devictoſqve perpetuæ ſervituti addixiſſe. Eandem fabulam agit hodie adhuc Princeps hujus mundi, omnium ſtratagematum atqve calliditatum, decipiendis inqve laqveos ſuos tahendis mortalibus comparatarum artifex. Et prout initio non vi apertâ, ſed ſerpentinâ vafricie, ſvavi ſcilicet alloqvio, jucundo vetitæ rei aſpectu, guſtatu dulci, protoplaſtos humani generis inescatos, captos & paradyſo aliàs inexpugnabili ejectos, peccati ſervos fecit mortisqve vinculis implicavit: ita & hodie voluptatum blandimentis inſidioſis, in perpetuam ſervitutem æternæ caliginis catenis ſecum ſervandos adducere tentat. Idqve hoc potiſſimum tempore, qvo Jeſus defenſor noſter fortiſſimus, jejunio & precibus benè obfirmato pectore, cum eo congreſſus ſtratagematibus indigentiæ & affluentiæ tentatus, verbi divini ſcuto fortiter ictûs omnes retudit, nobisqve exemplo ſuo, perpetuam qvam imitemur normam contra hoſtem, devictum qvidem, novos tamen ſubinde inſultus minitantem, pugnandi, abſtinentia inprimis & ſobrietate præſcripſit. Hoc inqvam tempore, qvo Induperator noſter vinculis duriſſimé conſtringitur, probris fœdiſſimis increpatur, cavillis proſcinditur, iteratis percuſſionibus, ſputis deformatur, & omni moleſtiarum ac cruciamentorum genere miſerrimè affligitur, opprimitur. Cavete ergo hoſtem Cives optimi, piiſqve meditationibus, jejuniis, precibus, tempus omne conſumite, & his ceu validiſſimis armis, Sathanicis inſultibus reſiſtite. Præit exemplo ſuo vinctus Jeſus, ſeqvamini frenatis corpornm cupidinibus, ne æterna Gehennæ vincula experiri cum principe tenebrarum olim vobis contingat.

PP. Dominica Qvinqvageſima, ſub Sigillo Rectoratus A. recuperatæ Salutis M DC LXXXVII,